Vossio.

Cum assignatione 200. Floren.

Vir Amplissime ac Doctissime. (187)

Cæperam in Barlæo desiderare, quâ nunquam sibi defuit, nec amicis, diligentiam; cum ecce, quod ad me responsum dederat promtum meherculè et festivum, qui suavissimi viri mos est, quinto post die affertur, amicâ manu, quas inter tabellarios ferè lentissimas experimur. Serò igitur, quod rogabam dilici, cujusmodi auri pustulis maximè caperêris: et hinc serius vetustum nomen solvo. Innuteravit hoc inter arma primum, mox sub negotiorum civilium novâ mole, quam redux Princeps offendere domi solet, dormivit tantum non ~~lethæ~~ lethæo somno. tardius, nec dissimulo, a me suscitatum, quod cogitandum simul de Dijonisio esset, cujus tam amara mihi, mihi recordatio est, quam apud posteritatem omnem meruit stupenda haberi. Ergo et calamum hic inhibeo, et a plagâ manum, cui sanandæ par es, tu tantum Vossi, non nos de Plebe, qui in simili naufragio deprehensi expectemus ab arce illa sapientiæ ac doctrinæ, quam sublimis insides, quod mederi infelicibus unicè et absolutè possit. Sic debitorem tibi te delego: tardum ipse nomen, ut jam dicebam, et, verbo, malum. Amicus interim, non despernendis, si fidem spectas, et amoris probè semel collocati pertinaciam. Talis a te amari, quodam quasi jure meo postulo. cætera indignus. quod Barlæus novit, qui me in cute, et annos plusculos prosâ, versu, hoc jam inscitæ, atque infectæ amicitiæ meæ saxum voluit. Desino apud quem incepi, et salutem jucundissimo Philosopho dicas rogo, dum per ~~incudem~~ incudem meam liceat, ut et ipsi olim Aliquid reponam. Vale Vir magne et pusillum istud Aliquid si dedignaris, quod non veto equidem, cum eodem ~~te~~ te collega tuo consolare, qui in Aulâ expertus novit, quam vilis virtus sit, et eruditio. Scribo Hagæ quam distractissimus, et sic potius tamen, quam ut vacuus, aut solitis nummis comitibus a me discedat Vickevortius recenti consuetudine, quod invidere jam possitis, meus quoque. Prid. Non: Feb. CIϽIϽCXXXIV.

Smithio.

Amplissime Domine. (188)

Tardum ego nomen semper, et, verbo, malum, quod adscribere perpetuæ occupationum mearum incudi, amicorum plerosque doceo, tardius hoc nunc tamen, quam pro more meo te respicio tantâ me humanitate compellantem, ut qui summam

exsuperas

exuperas, ultimo conatu visus sis te superaturus ire, cum
restaret nemo, cui te impenderes. Tardius hoc, inquam, sed
consultò sic respondeo: tentabundus diu, ecquid vestigia
flammæ, quam in Principe tu, Smithi, primus accenderas
denuo suscitari possent. Quid enim dissimulem? elanguit illa
pridem, et in otio repente nata, negotio irruenti sensim cess
Ità quod Neomagi accidit, unius Hugenii opellà, ut à
Republica Belgij meus Ille ad Romanam diverteret, nescio
an nunc Haga confectum daret procerum omnium
collecta manus. Non te latet quam sibi superstitem
egregium rei numariæ thesaurum reliquit Rex Bohemiæ;
nosti quid hic Cives, et Hagani ipsi et Hagæ congesserint.
At horum omnium tantillum studii nunquam apparuit,
ut afferri vel recludi jusserit ‡ unam omnium pyxidem,
ne quidem monitus: quod mihi curæ fuit quam sæpissime
tentanti, ut dicebam, si quis aliunde novus ardor edomaret
hoc densum gelu. Allaboravi enim frustra, mi Smithi,
et omni tandem spe dejectus, refero tibi Hugenium solu
constanti, quod mereris, affectu tuum, et elegantiarum
tot tuarum, in quarum ornatissimâ congerie tu perluces,
perpetuum cultorem. faciamus missos Principes; et
quoties hos tales nummos in arcâ contemplamur, appla
damus privatæ sorti, per quam interesse tot retro sæculi
licet, nec publicæ invideamus, quæ sic illos uni affigit,
ut vix noscendi otium restet ‡ quid alibi contigerit, an
quam hic nasceremur. Explorandæ Arcis Tvissenianæ curâ,
quam susceperas, jam te solutum credo. Teneo te tamen,
nec dimitto, quin fidem liberes. ut omni utrimque lapi
moto, vel vincamus unà vel excidamus, laudandi utique
conatus rei, qui in parente patriæ hanc ornandam susce-
peramus. Suspicari interim te veto, periisse meâ vel
desperatione vel socordiâ grande officium quod mandaveras.
Obtuli pridem, ut volebas, supellectilem omnem Principi,
et te, Smithi, quod non volebas, sed quod ex amore ed
metiebar humanitatem tuam non nolle. Quid responsi
tulerim ex præmissis collige. Benevolentiæ certè signa,
nec fallaces nutus, quantum potuit, sed, ad summam,
interdictum etiam, caveres hic profundere ubi nisi mel
collocanda, quod ipsum, non jam ex mandato solum,

sed

sed privato affectu moneo, eodemque te valere jubeo, vir
doctissime, et me amare. Hagæ Com: Postrid: Non: Febr.
1634.

Ex præda Monacensi quid ad me
pervenerit tu nosti: umbra, hercule, ejus
quod speraveram: sed cum corpus illa
penes te exuerit, ita me ames, Smithi,
nullus invideo. quin de reliquiis quantumcunque est
fateor me tibi unicè devinctum, cui cum nucleo
cortex etiam non dubio jure vindicari poterat.

Puteano. Nobilissime Domine (189)

Vidisse se stateram tuam, aliquos effræni loquacitate testari
juvit; me silenda illi viderint, quo se tibi aut Reipublicæ
probent: ego, si te amplecti detur (quod quousque non speramus?)
faxo intelligas, uti te inter Batavos, uno saltem non fallaci
amico, cui si Heinsium adscribas, feceris, quod utcumque
nobili contentione meremur, uter te impensius amet.
uter illum summæ eruditionis comitem, sine comite
candorem, uter denique, quod vehementer uterque fecimus,
affectu, voce, stilo, ad ea quæ post stateram acciderunt
factum factum indignè vehementius exclamarit. Sed
silere, ut decebam, juvit, et nunc maximè, postquam
concussa diu statera ad æquilibrium rediit, et quietem
suo pondere invenerit. Superest ut qui te compellare
eò tantum statui, ut me in mortalibus esse scias, et
constantissimo illo, quia nec temerè collocato affectu tuum
usque faciam id more meo, et quid apud me nugarum
inter seria nascatur, quâ pridem fronte cœpi, pergam
non tam ostendere, quam vel fateri. Sic est, mi Puteane
non patitur quæ me Reipublicæ Aulæ foro sors implicuit
opere ullo in longo somnum obrepere. properandum
ad calcem est, si quid inchoandi otium superat. quin a
principio desinendum. nec volâ quidem aut pugno vacat,
talitro feriendum est. ad superficiem subinde aut lineam frustra
me compono; puncto claudor. et ipsa quæ in puncto
versatur contemplatio plerumque interrumpitur, ut
hoc jam dividere, non artem, sed necessitatem Geometræ
discatis. Faciunt hinc Epigrammata, et futiles verborum
gryphi, quibus, ut hic vides, pro re natâ me oblecto.
Inspice, si quid tanti est, et hunc fer saltem ferre me tot
ineptiarum fructum, ut ab indignante discam ubi
te

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fols. 61r-62r
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/870